

**De somno de medicamentis somniferis, et de natura hominis in somno  
dissertatio / Laurentii Cajetani Fabbri.**

**Contributors**

Fabbri, Lorenzo Gaetano, 1680-

**Publication/Creation**

Lucae : Typis Philippi Mariae Benedini ..., 1753.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/khzk26ug>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Unable to display this page

22, 035/B

C. II. m

18







25. Q. 11253







1

DE SOMNO  
 DE MEDICAMENTIS SOMNIFERIS  
 ET  
 DE NATURA HOMINIS IN SOMNO  
 DISSERTATIO  
 LAURENTII CAJETANI FABBRI  
 FLORENTINI.



L U C Æ MDCCLIII.  
 Typis Philippi Mariæ Benedini.  
 SUPERIORUM PERMISSU.



DE SOMNO

DE MEDICAMENTIS SOMNIFERIS

ET

DE NATURA HOMINIS IN SOMNO

*Omnino censeo non decere Naturalistam adeo esse sollicitum, quid credatur, aut creditum fuerit; quam quid re ipsa credendum sit.*

Boyl. de ips. Nat. Sect. prim.

*Somni, & vigiliarum omnibus Hominibus vicissitudo inevitabilis a Medicis, & Physicis frequentissime agitata; tam obscuram, & latentem fovet causam, ut hucusque vix duo sint qui consentiant Auctores, quæ sit vera Somni causa.*

Joan. de Groter exercit. secun. de Somn. & vigil.



L U O F M D C C C I I I

Typis Philippi Mariae Benedidi.  
CUPERTINORUM FERRETI.





## DISSERTATIO.

**S**Cite admodum loquutum Aristotelem arbitror, dum ait: *Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent; ita & Intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.* Et ut vera fatear; ad quid Summorum hominum, tot Sæculorum defluxu, valere Studia in iis declarandis, quæ disciplinarum, & artium universitate continentur: quæque Naturæ penetralibus abdita, atque reposita? Nisi, ut laboribus enervati homines, rerumque difficultatibus fracti; illa magis obvia, et quæ secum usque ferunt, vel ingenue ignorare, vel penitus ignorata fuisse profiterentur? Etenim non aliter sibimetipsis evenisse, animadverterunt, quàm iis, qui per tenebras repentes, manu quæ palpat non videt, vel non cognoscunt, videndi tamen, ac cognoscendi cupiditate afficiuntur; ita quibus rerum causas pervestigare libuit, quasi ambulantes per tenebras, larvis tantum, & fictis imaginibus delectari, minime verò essentiam rerum ipsam, naturamque clare intueri datum fuit. Quare factum, quòd physicarum notiorum desiderio capti, & tali nihilominus frustrati



opera, Subsequentes alios ad Mathematicas disciplinas compulerunt. Inter quos, & quidam fuere, qui in illis omnem ingenii vim ad Naturæ arcana, si possibile unquam fuisset, revelanda posuerunt. Et fuere quidam impudentes adeo, & arrogantes, quod humano ablegato arbitrio, consilioque, veluti bestias in necessitatem projicientes, instinctumque homines, maximo Religionis Catholicæ detrimento, ad doctrinam usque morum inconvenienter, & temere Mathematicas disciplinas adjece-  
rint.

Et si tamen per solemnes viros compertum sit, tale studium parum præstare, præter Chirurgiam, quæ olim simul cum Pharmacia a Medicis una administrabatur, Medicinam cæteram facientibus: & quod motus causa incognita sit: & quod Materia obsecundet quidem legi motus, minime vero conceptæ erga ipsam legimentis: quare nihil aliud aliquibus inter Medicos conferat, quàm quod sibi esse videantur sapientes; grata nihilominus fallacia decepti; hoc ipsum supra alia magis necessaria in Naturæ contemplatione, maximarumque causarum, persequuntur Studium: & contumaciter vanis opinionibus, perver-  
sæque, & perditæ Conscientiæ se fidunt, ut ex suis commentariis probatur; viderint licet, ac nuper illis explicite sit, dilucideque demonstratum a Sapientissimo Cive nostro Roberto Gherardi circa Mercurii operationem: quod quæ quandoque apparet veritas, error est.

Lætor ipse profecto quòd circa Somnum nulla, quod sciam, fuerit mechanica lata vel recepta lex: unde hujus effectus declarari, vel præsumi possit origo: & ex parte doleo, certo vel probabili saltem aliquo argumento minime declaratum usquemodo fuisse; qua



qua ratione hæc fiat tam patens, tam frequens, tam obvia, tamque necessaria in quocunque animali operatio Naturæ. Quare Aristotelis præclara illa supra relata, magnificaque Sententia, Veritatis undequaque instructa, exornataque lumine per omnes asseveranter proferri possit.

Cùm tamen jucundum semper fuerit examinare dissidentium Philosophorum diffidia, eorumque argumentationes, quibus facta sit Veritatis inquisitio: & bellissimum ponderare quibus rationum momentis, vel propriis, vel aliorum, illa sit in quam ire placeat suffulta opinio; precor vos NN. oblata mihi mei muneris occasione de Somno, de Medicamentis Somniferis, & de Natura Hominis in Somno pertractandi; ut desidia, & omni languore amoto, vigilantes, attentique nunc præbeatis aures, quæ a mea adjecta voce pulsæ vestram ratiocinationem commoveant ad aliquam supra ceteras probabiliorem elicendam de Somno Sententiam, quæ aliquando sua se vi, & ratione confirmet.

I. Plutarchus magni nominis Philosophus, qui ob multa, & præclara merita in sapientium virorum Rempublicam non est ultimo loco recensendus, plurima retulit præteritorum Philosophorum placita, quæ profecto, nisi extarent illius scripta, jam jam periissent, nullaque haberetur a posteris honorata, quorundam summorum hominum recordatio. Quare Theodorus Gaza, fama, & nomine, & eruditione clarissimus vir, qui Constantinopoli a Turcis capta in Italiam pervenit, & Aristotelis meliora in latinam linguam transtulit, & alia non satis magnifice remuneratus consulto perdidit in Sixtum quartum Pontificem ira percitus, & furore; interrogatus, si necesse foret libros in mare projicere, quem postremo esset



effet demersurus, Plutarchi fertur respondisse. Nobilissimi hujus, & clarissimi Philosophi plura leguntur a Galeno transcripta, qui cum Artem, Disciplinamque Medicam, quas tractavit admodum sapienter, ad sibi utcumque adaugendum nomen, auctoritatemque, quadam calliditate, quodamque artificio malitiæ usque conspersisset, nonnulla Plutarchi, quæ supra elapsis annis in lucem venire sui juris fecit. Licet revera ex alieno penu jam deprompta, surreptaque.

II. Plutarchus itaque in lib. quinto de Placitis Philosophorum varias refert, quas veteres tenuerunt, de Somno Sententias. Horum aliquis est arbitratus ex diffusione Sanguinis per venas fieri Vigiliam: Somnum verò per illius in venas concursum. Aliqui ex moderata refrigeratione Sanguinis fieri Somnum; mortem ex immoderata. Verùm quid attinet veterum referre varias de Somno sententias? Cùm vos per vos legere illas possitis, quamque parum verosimiles sint coniecere, atque existimare. Satis sit modo referre quod in eo capite, cui titulus ad Animam ne, an vero ad corpus pertineant Somnus, & Mors, apparet quæ fuerint Anaxagoræ, Leucippi, & Empedoclis de Somno opiniones.

III. De Somno scripsit Hippocrates in eo lib. qui est de Insomniis, ubi ait: *Quisquis de his, quæ in Somnis obveniunt recte coniectat, is magnam habere vim ad omnia ipsa reperiet. Anima enim vigilat, & quum quidem corpori inservit in multas partes distributa non sui juris est; Sed partem aliquam singulis corporis partibus, sive sensibus distribuit, auditui, visui, tactui, gustui, actioni, ac omni corporis facultati. Quum autem corpus quiescit anima in motu est, & corporis partes perreptans, domum suam gubernat & omnes*



corporis actiones ipsa perficit: nam corpus dormiens non sentit: ipsa vero vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, animadvertit. In summa, quaecumque corporis, aut Anima munia, ea omnia Anima ipsa in Somno obit. Quicumque igitur hac recte judicare novit, magnam Sapientia partem novit.

IV. Considerate admodum scripsit idem Hippocrates de Somno etiam in lib. de flat., qui liber proprius est, & legitimus: propterea quod singularis ibi continetur Sapientia, taliaque ejusdem verba sunt. Opinor autem inter omnia quæ in corpore insunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem, Hic ergo cum inconstanti habitu persistit; consistit, & prudentia. Quod autem hac ita habeant multa sunt testimonia. Ac primum quidem, qui omnibus animantibus communis est, hæc confirmat Somnus. Quum enim corpus invaserit Somnus, sanguis frigesit; a natura enim Somno frigefaciendi vis est. Infrigidato autem sanguine languidiores fiunt ejus meatus: quod hinc palam fit quod corpora aggravata reclinantur; omnia enim gravia ad fundum deferuntur: & oculi ardent, & prudentia permutatur, opinionesque peregrina mentem occupant, & exercent; quæ sane insomnia appellantur. Quin & in temulentis per ebrietatem, aucto repente sanguine, percellitur animus, & in animo prudentia, fiuntque presentium malorum obliviosi, & futurorum bonorum fecunda spe beantur. Hæc tradidit de Somno Hippocrates; per cujus Sententiam declaratur, sanguinem a Somno refrigerari. At cum, uti observaverit Galenus, per initia Somni pulsus esse minores, languidiores, tardiores, & rariores & observaverit pulsus dormientium multum contrahi, distendi parum: item & illico experrectis a Somno, magnos, & ve-

he-

Unable to display this page



rum recentiorum solummodo referre convenit.

VI. Inter hos Robertus Boyle occasione causarum ad conservationem corporis conducentium, & quare diutius plurimis rebus ipsi adversis durare queat, talia refert. *Hoc nonnihil illustrari poterit, si perpendamus Somnum, licet proprie morbus non sit, facile morbum evadere cum debitos sibi limites frequenter transgreditur. Qui etiam quum debitos intra limites continetur, quandiu durat, plus obstat exercitio variarum corporis functionum quam varii morbi. Juxta tamen commune rerum curriculum, materia sensus obstruente jam consumpta ad actuosum eum homo statum redit, ratione cujus vigil, & vigilare dicitur.*

VII. Et talia quoque refert Elvetius Medicus clarissimus, cujus, quod de Somno vernaculo sermone scriptum, in latinam linguam convertemus, jejune profecto atque exiliter, uti versiones plurimæ sunt, quæ per ignaros rerum, vel per externa verba exanimatæ spiritu auctorum, debiles jacent, contemptæque. *Somnus atque vigilia a diverso statu in quo nervi, & cerebrum sint pendere videntur. Quum enim turgescentes, repletique undequaque animali spiritu nervi sunt; externorum obiectorum impressiones, quantumvis exiguæ, temporis momento, mediantibus organis ad Sensationis locum communicantur: & hoc vigiliæ causa est. Ut verò cerebrum atque nervi minus oppleti, minusque turgidi, ad obiectorum impressiones minus sensibiles sunt, facilius in Somnum cedunt. Duo hi sunt status, quibus hominis dies dividuntur, eique necessarii sunt præcise adeo, ut nemo inveniri possit qui addubitare cogatur, an supra vigiliam quid sit, a quo tantum debilitetur, perdaturque Natura..... Hæc ut ita dicam in Sanguine exsuscitat ignem. & sicut ab ipsa vigilia dissolvuntur, dissipanturque illius partes utiles, atque*



*alimentaria ita necessario in inusitatos prolabimur casus, & jacturam damnumque sentimus: nisi curam omnem adhibeamus, qua spirituum defectus Somno reparetur, & resarciatur. Opii remedium in sanguine fermentationem inducit & immiscetur spiritibus, quos aquosiores supra ipsorum naturalem statum efficit; quo fit laxari nervos, & dissolvi cerebrum, agrotantemque Somno tentatum, & captum. Hisce Elvetii adicere possem quæ pauca de Somno scripta sunt in Halleii commentario, loquendi occasione de viribus voluntatis, & Naturæ. & quæ plura scripta sunt sapientissime a Joanne Groterio in sua illa præcipua exercitatione Medica, in qua per ipsum quicquid melius de Somno, & vigilia potuere Medici excogitare collectum, digestumque. At ne in aliorum placitis nimis multi simus, quam de Somno teneamus sententiam, ex iis quæ dicentur modo vobis innotescet.*

VIII. Posito itaque (quod cum sit verum, absque eo quod præsupponatur, statuere minime est indecorum) esse in homine talis activitatis spiritum, per quem corporis perficiantur, ipsiusque rationalis animæ exercentur actiones: eundemque in cerebro confici & in nervos excurrere ad partium omnium beneficium; certum, & indubitabile similiter fit, hunc actione continua, & passione; ut antiquorum verbis utamur, enervari spiritum, frangi, atque comminui. Quapropter necessarium fuit, non tantum aliquod assignari a Natura tempus in quo enervatus, & fractus, vim solitam, activitatemque resumeret, verum etiam fuit necessarium, quod comminutus vigilia, cæterisque vitæ officiis, successiva sui productione confortaretur ac restauraretur. Non enim convenire videtur ipsum spiritum per vigiliam; quando scilicet erogatur in vitæ usus, & consumitur



tur per labores, eodem restaurari tempore, & necessaria quantitate refici admodum. Et sicuti videmus animalia quædam, uti præsertim Bombyces, cum sine ulla vitæ significatione per aliquod spatium temporis vixerint, excitari, suum perforare glomum, volitare, potentesque evadere ad illas adimplendas partes, quibus sua possit reparari species (ineffabili profecto Auctoris Naturæ miraculo: dum absque cibo quo nutriri possint; solo aeris beneficio suæ propagationi simulque vitæ maxime miserimarum gentium providetur, eaque alitur artis illius industria, qua licet magis quàm vitæ commodo, superbix, luxuriæ, stulti, ac urbanis corruptelis perditissimi hominum libenter inserviant; humani tamen ingenii excellentia, magnitudoque admirabiliter elucet, ac viget.) Et multas videmus arbores per hyemem, quasi Somno captas, nec germinare, neque frondescere; ita verosimile valde apparet constitutam similiter fuisse a Natura legem, ob quam proprio cujuscunque rei spiritui qui earum Natura dicenda videtur, quædam illius fieret in seipsum, & in suum principium contractio: ita ut instrumenta, quibus reficitur, accessione præsistentis spiritus corroborata, ad veteris purgationem, & ad novi simul productionem assurgerent. Si tali modo hæc fiat Naturæ operatio, dicere possumus Somnum esse animalis spiritus in seipsum, & in suum principium contractionem.

IX. Hanc verò dari contractionem spiritus animalis in suum principium attestari videntur quædam, quæ fiunt per valetudinem, & quæ fiunt quædam, per morbos operationes. Quomodo enim explicari aliquo modo, & ratio potest assignari oscitationum ante Somnum? Nisi dicendo quòd ob imminutionem



spiritus animalis per vigiliæ officia, enerves fiant partes ipsum continentes, concidantque: unde materiæ, quæ intra intestina continetur, retardato motu, materia ipsa beneficio caloris fermentescat; quadamque per fermentationem, vel ebullitionem acquisita extensione, dilatationem illam partium, respirationi servientium, oscitationem scilicet necessario moveat, exuscitetque. Et quomodo possunt, quæ post Somnum fiunt illico pandiculationes declarari? Nisi dicamus evenire has per impulsione, quæ fiat noviter illius resecti spiritus animalis ad partes usque corporis extremas? Inter morbos autem, ecquis est, qui ad monstrandam contractionem spiritus animalis in suum principium, Somnum esse; melius attestetur, quam is qui etiam dicitur Paralysis, in quo aliqua, vel plures per vigiliam tremulæ fiunt, & quatiantur indefinenter partes. Ex qua re deduci potest, quid vigiliæ tempore per nervos labefactatos excurrere, quod non excurrat Somni tempore: & deduci quoque potest, quod male firmæ, debilesque ipsæ nervorum partes ideo per impulsum spiritus animalis in vigilia solummodo quatiantur, & tremant, Somni verò tempore conquiescant; ita, ut per contractionem spiritus animalis ad suum principium in Somno, labes nulla, nulla nervorum incontinentia noscatur. Quæ tamen res, etsi ostendere videantur Somnum esse animalis spiritus ad suum principium contractionem, non ideo satis esse possunt ad hanc veritatem non dicam assequendam, sed nec ad inquirendam quidem. Necessarium quippe est differentias quasdam considerare, & examinare, ut hoc tantummodo perscrutari liceat venerandum Naturæ mysterium.



X. Maxime spectanda ea differentia est, quæ cadit inter naturalem Somnum, & inter morbosum. Etenim posito quòd Somnus naturalis sit contractio spiritus ad organa, & instrumenta in quibus ipse spiritus elaboratur perficiturque, dicendum ne ideo est morbosum Somnum esse pariter spiritus animalis in sui principium contractionem? Non profecto; plurimi si quidem sunt in Natura effectus similes, qui a diversa prorsus causa, contrariaque derivant, ac pendent. Quanam ratione tamen in naturali statu illa fiat animalis spiritus in sui principium, & in seipsum contractio paucis libet absolvere: Si dicamus maximam in naturali Somno habere partem, eundem spiritum imminutum. Hoc si quidem imminuto minime turgent canaliculi ipsum continentes: quamobrem in minori nixu, & minori turgentia, aeris externi summa, & semper ingruens gravitas ipsos comprimit canaliculos debita resistantia, per imminutum spiritum jam destitutos: unde facilius in seipsum, & suum principium contrahi potest spiritus. Quod maxime evenire debet post labores, & per noctem, quando scilicet minori appulsu lucis ad instrumenta sensuum deficit quod proritet, invitetque animale spiritum ad corporis exteriores partes. Ab hac sententia tametsi aliquod exprimi vel effingi possit, quod verisimile forsan alicui appareat; sciendum tamen est, priscis usque temporibus quid valde simile fuisse meditatum: non enim infinitæ sunt cogitationes hominum; & quæ modo alterius, potest & alterius eadem vel saltem similis extitisse sententia: quare quæ nunc novitatem redoleat, re vera nova non sit; veruntamen illam ignorantibus nova tantum esse videatur. Zeno Stoicæ Familiæ venerandus Pater tenuit per Somnum contrahi animum: & re-



ferentis Ciceronis illius Philosophi sententiam; talia sunt verba, quibus placet nostram de Somno concludere, & exornare opinionem: *Contrahi animum Zeno, & quasi labi putat, atque concidere: & ipsum esse dormire.*

XI. Quod iam dictum brevibus, etsi Somnum in naturali, sanoque animalis statu hoc pacto posse fieri satis suadere videatur; eo tamen magis difficultatem exuscitat explicandi modum, assignandæque rationis: unde morbosus lethalisque Somnus, uti Lethargus est, proficiscatur. Hunc tamen effectum ignorantia tenebris non prorsus involutum esse comperiemus, si advertamus animum, illamque consideremus operationem, quam opiata efficiunt medicamenta; etsi de his fuerit, & sit maxima inter Medicos disputatio. Quidam siquidem arbitrati sunt (ut veteres prætereamus, qui existimarunt frigiditate insigni pollere Opium, perque ipsam operari) facultatem illi inesse dissolvendi spiritum animale in aqueam substantiam: ex quo cerebrum, & nervi relaxati, ipseque enervatus quum remaneat, fractusque spiritus in Somnum morbosum concidere faciat ægrotantes. Sicuti, è contrario (tanta est hominum ignorantia in eo quod ad rerum scientiam attinet) arbitrati sunt quidam Opii efficacitatem resultare potissimum ex quodam glutine, quod in ipso reperitur: ideoque fieri Somnum, quia per hoc medicamentum colligentur componentia spiritus animalis, illaque retundatur vis, agitatioque, per quam rarefactus in cerebri tubulis, ejusdem augeatur circulatio, motusque, a quo vigilia pendet. Nobis verò, qui nec per tot antea acta sæcula declamatam frigiditatem Opii, neque per illud conversionem spiritus in aqueam substantiam, neque



coagulandi potentiam communicari posse arbitramur, necesse est aliam, iudicio tamen nostro semper infirmo, probabiliorem assignare causam, per quam tam cita suboritur ab assumpto Opio operatio. Quod profecto facile factu erit. Si quædam ab observatione desumpta præmittamus, quibus liceat, quantum possibile nobis fiat, veritati appropinquare.

XII. Rationum momenta ut expendamus, negare minime possumus, constare Opium duabus hisce præfertim partibus; materia scilicet sulphurea, quæ est in ipso copiosior, altera gummosa, terreaque. His positis quæ meliorum Chemicorum consensu sancita sunt, existimare nequaquam convenit, operationem Opii resultare potius a parte gummosa, quæ exigua est, quàm ab altera sulphurea, his adducti rationibus: quia quæ a materia gummosa derivant operationes in corporibus lente, remisseque fiunt: & quia multorum gummorum gummositatem ideo a natura datam esse concedendum; ut qui continetur spiritus, ignisque, asservari possit, ne perdat, & avolet. Quare multa sunt aromata; ut cinnamomum, & caryophyllum, pluraque alia, quibus ad hunc finem, ne scilicet nativa ipsorum vis, spiritus, & odor in auras facile diffugeret, talem existimatur concessam fuisse, insinuatamque gummositatem. Quin & sulphur ipsum, quod in ignem abit, an non plurimis vitrioli partibus circumseptum videmus, quæ ipsius ignis repagula sunt, & colligamenta? Cur igitur efficacior in Opio partem illam existimabimus, quæ exiguissima, quæ iners, quæ alteri sulphureæ famulatur? Quam quæ actuosior, & in agendo celerior? Nobis non licet, sed nec decet quidem in alias partes quam rationis descendere, illasque tueri, atque

com.



complecti. Quocirca vim in agendo maximam Opii, non in gummositate ipsa, quamvis fuerit a viro summo in operationibus Chemicis hæc illi attributa; veruntamen in sulphurea ejusdem portione repositam esse arbitramur, & firmiter credimus per hæc, quæ modo apponimus argumenta.

XIII. Quoad primum dicimus Somnum ab Opio, cæterisque Soporiferis inductum herbis, vel Pharmacis, revera somnum non esse: attamen quid Somni referens formam. Quapropter Cælius Aurelianus, qui forsan supra medicos omnes sui temporis sapientissimus morborum habetur interpret, pressuram, seu oppressionem, non verò Somnum introducere opiata dixit medicamenta: ejusque hæc sunt verba: *pressura intelligitur contra naturam Somnus. Papavera autem pressuram non Somnum faciunt.* Et alio in loco tradidit dormientium a lethargicis differentiam; sic dicens: *& cum aspectu commune sit, quod utrique non sentiunt, cumque multos inexercitos errore fefellerint, ut dormientes, tanquam depressos excitarent: aut lethargicos tanquam dormientes sine adiutorio passioni traditos reliquissent, utilem ducimus eorum discretionem faciendam.* Discernuntur igitur colore, caractere, respiratione, pulsu, tactu, schemate jacendi, febrium magnitudine. Colore inquam; dormientium enim nitidum corpus, atque floridum, & naturali habitudine plenum. Oppressorum verò in lethargica passione, pallens vel plumbeum, vel quolibet alieno colore affectum invenitur. Character autem dormientium bilavis; lethargicorum tristis invenitur. Item spiratio dormientium ordinata, lethargicorum tarda esse probatur. Pulsus etiam discretionem facimus; qui quanquam utrique subinflatus atque maior; tamen cum inanitate in lethargicis; cum plenitudine dormientibus invenitur.



Tactu autem lethargicis etiam præcordia distenduntur plurimum, & totum corpus durius fit, ob nimiam obstructionem. Dormientibus vero è contrario, quia strictura minuitur, etiam præcordia relaxantur, & totius corporis tactus mollior efficitur. Schemate iacendi discretio fiet: Siquidem lethargici a capite lecti ad pedum loca labuntur, & incomposito, vel indisposito jacent corpore. Dormientes verò congrua natura positione cernuntur. Magnitudine inquam febrium: dormientium enim calor febris minor, ac levior: lethargicorum major, atque asperior febricula invenitur. Quapropter observanda sunt etiam tempora: Si enim in declinatione passionis, & in dimissione, vel declinatione accessionis sensus agrotantium quieverint, intelligimus Somnum. Si verò in augmento passionis, vel accessionis, & magis in ejus initio, vel augmento id acciderit, lethargum pronunciamus. Cælius Aurelianus, quantum a sincero Somno differat pressuræ molestia, per ea, quæ relata sunt, abunde significavit. Videamus modo qua ratione hæc pressura a parte Opii sulphurea magis, quàm ab ipsius fieri possit gummositate. Et quidem quæ colligatio a tantulo grano hujusce medicamenti spiritui animali præstari potest? Cùm exiguissima sit illius, quæ communiter exhibetur dosis: & minima sit prorsus in illa exiguissima dosi, quæ extat gummositas. An non ideo melius censent, qui opinantur a parte ipsa sulphurea Opii effici operationem, tantamque causari pressuram aliquando, ut per nimiam assumptam quantitatem, perdit quidam homines exolvantur, & pereant?

XIV. Utinam certi extitissent a Patribus in Medicina constituti canones, quædam exhibendi phar-  
maca: quia nec ægrotantes tam frequentem sentirent labem: neque hominum maledictis nimis sæpe



Medicorum fama deturparetur. Verùm cum hisce sit, & esse debeat, ratione temperaturæ diversæ, ac abditæ ut plurimum naturæ morborum, destituta Medicina, quare arbitrio sæpe cæco, coniecturaque nimium sæpe regatur insana; nil mirum si desiderio interdum ægrotantium, & voluntati interdum Medicorum, minime in agendo, pharmaca ipsa respondeant. De Opio, de quo tot conficiuntur Embamata, nescimus quid senserit Hyppocrates: & nihil prorsus de Mercurio: unde quæ circa hunc præsertim extant, aut extabunt propitiæ observationes, mancæ profecto erunt, vel quia nonnunquam a præjudicatis jam hominibus constructæ, confictæque; vel quia illa destitutæ regula, qua medicos revera sapientes in tradendis observationibus alligavit idem Hippocrates, volens non fortunatas tantum, verùm infortunatas quoque adduci, & infortunii causam (uti nuper fecit clarissimus Magister, & Amicus noster Antonius Benevoli). Etenim effectus rerum est veluti Somnus, qui potest a diversa pendere causa: at in rerum ratione, quæ tamen ratio sit, nulla potest valere fraus, nulla potest valere fallacia. *Pulchrum est ea addiscere, quæ in experimentum assumpta successu caruerunt: & cur successum non habuerint.*

XV. Etsi tamen de Mercurio nihil, & de Opio, & de Papavere nescio an quid abunde fuerit indicatum ab Hippocrate: attamen cùm utrumque venenum esse conveniat, satis clare docuit, quid præstandum non sit unquam a Medicis ipse humanitate, & sapientia educatus; dum aram tenens solemne hoc juravit jusjurandum. *Neque vero ullius preces apud me adeo validæ fuerint, ut cuiquam venenum sim propinaturus: neque etiam ad banc rem consilium dabo.*



XVI. Multæ res sunt, quæ possunt de sua substantia quid remittere: veruntamen non aliqua unquam extitit, quæ sua prorsus exuta natura, alteram prorsus diversam indueret. Quare ob id præsertim nulli nisi præjudicatæ sententiæ licet affirmare, Mercurium in sua substantia venenum non esse; cùm & venenum sit jam jam meliorum testimonio antiquorum affirmantium, uti à nobis aliàs relatam est, habere naturam venenosam, & contrariam, inimicamque humane nature. Et testimonio Boerhaviï affirmantis ipsum semper nocere corpori: sicut, & meliorum recentiorum. Et maxime sit per se venenum testimonio certissimæ experientiæ: dum ex eo plura conficiuntur atrocissima venena: & insuper cum nullus fuerit philosophorum, qui ejus qualitates, & componentia, nec quidem cogitatione, sit exploratus: & nullus qui ejusdem in humano corpore actionem activitatemque cognitam habuerit: nec demum ullus, qui per ipsum infelices exitus multos, exitialesque non viderit. Ita ut non perinde in Medicinæ frequentem usum, & in plurimis morbis possit afferri, & admoveri, quàm inconsideratissima temeritate: ac ab iis tantum medicis, qui, vel prophani sint, vel sanctarum, venerabiliumque legum Charitatis, & humanitatis violatores.

XVII. Opium quoque esse venenum docuit abunde Galenus, dum scripsit in lib. 1. de compos. medicam. secundum locos Cap. 1. *Semper papaveris succum fugio, neque, nisi urgente necessitate, ad ejus usum pervenio.* Eodemque ipso Cap. nihil juvaminis per se Opium inferre sic pariter docuit: *per papaveris succum mitigari solum dolores, nihilque juvari affectiones: verum per accidens, non primario. Etiam affectiones inde opem sentire quis dicere possit: Sedato*



*enim dolore, & Somno consequente, Natura affectiones dolorem efficientes concoquit. Et lib.2. Cap.1. Sic Opii hisce verbis, quæ forsan, & unice ad Mercurii administrationem possent quoque referri, improbavit usum. Neque ab ullo in usum assumi, experiundi gratia, consuluerim; nedum saepe. Raro enim cogimur pharmacis ex Opio uti, cum videlicet præ doloris vehementia, homo de vita periclitatur. Quanquam, & tunc solida partes ex ejus usu offendantur adeo, ut post hæc correctione opus habeant. Et in lib. de Theriac. ad Pis. Papaveris succum per se bibitum, qui lethalem nesciat est nemo. Hic quibusdam aliis admixtus, sic interdum laborantibus subvenit, ut nulla magis salubris extet medicina. Ab Opio noxam nihilominus sentire partes corporis, idem edixit denuo, affirmavitque solemnis auctor, & ingenuus lib.3. Cap.1., eo quia ex ejusdem Opii malignitate aliqui leduntur ut obscurius videant per multos omnino dies, & capitis gravitatem sentiant, & neque probe concoquant cibos: & ob hanc sane ejus malignitatem, plerique Medici ad torrefactionem confugerunt. Verum cum rursus in torrefaciendo efficacia ipsius pessundari videatur; id quod saepe sum expertus; melius esse existimavi, intostum quidem misceri, sed post tempus aliquod; inveterata jam compositione in usum adsumi.*

XVIII. Ab hoc consilio, antiquioris, inveteratæque Theriacæ existimatio forsan venit: & forsan ideo quia inducta per vinum, & mel indefinente ebullitione ita ipsum fermentescat pharmacum, ut minus reddatur noxium; avolatis magna copia sulphureis veneficis Opii particulis.

XIX. Verum enim vero nescio per quos medicos, rerum prorsus naturas, hominumque prætereuntes consultum, & approbatum propinare in-  
fan-



fantulis, integris, & valentibus, non papaver tantum sed & electuarium illud Somniferum, quo impietas patrum, & matrum crudelitas suorum innocentium parvulorum vitas impetunt, dum sibimetipsis placidum Somnum procurantes, neque interturbatum solitis infantulorum ejulationibus, Somno malignante eorumdem affligunt corpora, illaque sæpe reddunt plurimis, gravissimisque obnoxia morbis. Nostrum tamen hoc in loco non est, firmata jam, & approbata usu, assentationeque scelera damnare. Referre tantum expedit qua occasione, discreta semper dosi, quam utilitatem ex Opio accepit Galenus, possint rationales Medici similiter consequi. Quando scilicet enervata jam sit morbi causa: & adhuc qui divexet, exagitetque ægrotantem perstet, & perseveret jam productus, & jam firmatus effectus.

XX. Fuere inter medicos, qui examinantes essentiam Spiritus, qui in Cerebro perficitur, & continetur nervis, ipsum ad Nitri naturam accedere vel in quodam Nitro lucido affirmarunt esse repositam: & hoc illius, tam quoad animam, quàm quoad corpus attinet, respondere videtur operationibus: & respondere prorsus e contrario videtur Sulphuris, quod in Opio sit efficacix malignanti. Natura siquidem sulphuris est, ut & citissime quo potest, manet, fundaturque: & ut vim animalis Spiritus dissolvat, ac perdat. Quod profecto manifestum quoque fit in iis qui ebriositati indulgentes, ab eaque parte, quæ in vino est ignea externati, mente dimoventur, & corpore concidunt, lethali que interdum somno merguntur. Hunc somnum fieri a dissolutione Spiritus animalis, non verò ab ejusdem colligatione, probatur per illam, quæ vino inest luminosam, igneamque naturam, per quam animalis Spiritus resolvitur,  
in.



infirmatur, & frangitur. Etenim summe mobiles, omniaque pervadentes ignis particulæ, lege circulationis sanguinis cerebrum occupant, nervos subrepunt, & in animale Spiritum irrunt, eumque dissolvunt: ex quo tam mentis, quàm corporis virium talis fit jactura, ut homo interdum miserandus, & interdum irridendus esse videatur. Si tales inest vino, & meraciori præsertim, robur, ac potestas, eamque non a partibus vini gummosis, veruntamen a sulphureis innaschi credibile fit; quorsum tendit vana illa Medicorum quorundam sententia attribuentium Opio vim colligandi Spiritum animale: vel dicentium inesse illi frigefaciendi potestatem: cùm a vino, quod maxima ingurgitetur copia, ac ab assumpto nimio Opio, delirium æquè, & mors ipsa succedant.

XXI. Quia nobis, uti paulo ante innuimus, nequaquam licet aliorum improbare Sententias; licet verò, quin imo convenit, illam sequi per quam naturales effectus, uti Somnus est, melius declarantur, demonstranturque, nostram hic alteram necessarium adducere videtur sententiam, circa Naturam hominis in Somno, ad hoc ut argumenti fabrica, quantum possibile sit, suffulciatur, & undequaque subsistat. Et in hac primo demonstrandum, quod unus tantum ille sit spiritus a quo humani mortalis corporis construuntur partes servanturque, & rationalis immortalis animæ fundantur, ac administrantur operationes. Et quidem si minime dubium alicui videri debet quod spiritus ille prolificus (bona grammaticorum venia: nam ut ait Cicero; *nec artifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi*) ut primum ovi perreptet stamina, ipsum fecundet distendatque, inde fermentetur, & intumescat ovum, suaque via prolaba-



batur in uterum, & per hujus constrictionem, & illius fermentescentis ovi intumescenciam, disruptio ovi statimque tunicæ internæ uteri exordientis hominis fiat adhæsiō; sequitur, quod unicus statuendus sit in homine spiritus, qui mentis minister sit in cerebro, & qui pariter naturalibus functionibus provideat in corde. Etenim cūm extet in eo qui futurus est homo hic spiritus anteaquam constructio cerebri facta sit, cæterarumque partium omnium; non illum qui a cerebro elaboratur postmodum, ibique perficitur, architectum fabricæ ædificatoremque; veruntamen primitivum extare, & primigenium alterum, a quo hominis partes construuntur dicendum videtur. Et hunc si libeas appellare Naturam, non errabimus: est enim ex quo nata omnia, & facta sunt hominis. Et si libeat dicere primum movens, recte dici arbitramur: est enim ex quo cuncta hominis cientur, moventurque vi sua.

XXII. Consideratione dignum est quod spectatur in ovis gallinæ, in quibus interdum ramenta, & radii sanguinis apparent: anteaquam scilicet cor quod sanguinem elaborat, ac perficit factum sit. Quare vel in sanguine diffundi, vel in eo quod ad naturam sanguinis accedit, primitivum illum opinamur spiritum asservari. Et hæc apud nos potissima ratio est, quæ adducit ad credendum firmiter, spiritum illum præexistentem priusquam cerebri, nervorum, aliarumque partium ordiantur stamina, quemque nobis vocare placet Naturam, in sanguine, & deinde in corde præsertim manere; diversumque profus ab eo qui derivat, ac postmodum elaboratur in cerebro; quamvis & hic a primigenio cordis spiritu deducatur: Quod etiam sic esse plures attestantur morbi. Etenim quanam ratione in ea Apoplexia,  
quam



quam dicunt fortem, & in qua nervorum vires, & cerebri concidunt, ac dispereunt omnes, vivere ad plures etiam dies posset homo, sustentarique valeret motus cordis, in fluxu animalis spiritus a cerebro jam cordi prorsus denegato? Nisi vim præcipuam residere dicamus in corde, quæ a vi cerebri diversa sit omnino: quæque efficiat, ut cor sit in animali primum vivens, & ultimum moriens? Accedit quod in eo morbo, qui Paraplegia dicitur; & in quo ad plures annos ægrotantes misere, & infeliciter vivunt; quamvis nonnunquam medietas etiam corporis demortua esse videatur, & sit; qua nam ratione, absque corruptionis labe sustentari quædam possent partium læsarum functiones, nisi Natura ipsa, quam in corde residere diximus, sive spiritus ille primigenius talem qualem vitam in ipso defectu laticis nervei adhuc compararet, & vim suam illis tribueret? Quibus experimentis indubitatis, & rationibus ( ut cæteras minoris momenti prætermittamus omnes ) quis nam est qui non adducatur, ut credat in sanguine præcipuum manere spiritum, qui successive perficiatur, & elaboretur in corde, distribuaturque deinde ad cerebrum, partesque omnes corporis, quique ipsarum sit Natura: dum etiam cessante influxu illius defluentis per nervos, non tantum ad aliquod longum tempus vivere possunt partes, & sustentari; verùm etiam cor ipsum posse vivere, suoque per se aliquandiu agitari pulsu videatur. Quod maxima cum admiratione perinde fieri, eiseque sic scripsit Marcus Tullius. *Jam verò vena, & arteria micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animadvertsumque saepe est cum cor animantis alicujus evulsum, ita mobiliter palpitare, ut imitaretur igneam celeritatem.*

XXIII. Quamvis, non tantum non negemus,



verum etiam assentiamur omnino, ab hujus, & illius mutuo temperamento perfectas fieri operationes partium omnium, & cordis substantiæ reparationem fieri; cum præsertim pateat quod si alicui animali secentur venæ, ita ut totus perdatur sanguis, inordinate exagitur anteaquam pereat animal, convellitur, distenditur, concutiturque, eo quia inter utrumque spiritum destruitur æquilibrium functionibus vitæ simpliciter necessarium; concedendum tamen videtur spiritum primigenium residere in sanguine, & in corde perfici: ab ipsoque sanguine indefinenter per partes omnes manare, ac diffundi: quare ipsæ partes, simul cum altero, qui secundo elaboratur in cerebro, alantur, vegetentur, crescant, & vivant. Quod profecto ita esse, etiam cordis ipsius fabrica bellissime innuit. Exiles siquidem sunt nervi cordis, paucique, & ita flaccidi, ut quasi per se, tanto conatui, tantoque irrequieto pulsui impares esse videantur; quare vim suam incredibilem a solo nerveo latice minime ipsi concedi posse videatur: & præcipue si cor alicujus animalis avulsum adhuc visum est in ipso aeris defectu palpitare: nervisque cordis resectis per experimentum Villisii vita restitit ad plures dies in animali. Quod ostendit motum cordis a latice nerveo coadjuvari quidem, non verò ab ipso latice primum originari. Nihil apud nos ea obstante sententia præsistentem, jam demortuo animali, in avulso corde motum, pendere a partium ipsa conformatione, ac a contento in iis locis nerveo latice, qui solitam vitalis motus aliquandiu asservet actionem: & hunc spiritum a cerebello derivatum. Quando melius forsan credi potest, ab ipso spiritu primigenio cordi insito, talis visceris vigorem posse adhuc sustentari.



XXIV. Non latere debent Medicos, quæ fuerint circa generationem, & constructionem hominis exortæ opiniones: & maxime cum extiterint hæ per summos viros agitæ. Quarum veritati, quum non aliter quàm conjectura, liceat appropinquare (tam abdita est rerum generatio in ipsa sui occurrente, frequentissimaque demonstratione) abditum per hominum ætates, durationemque sæculorum stabit hoc admirandum Naturæ arcanum: quum vetitum sit, quæ circa generationis initia scrutantur, humano ingenio discernere ullo modo. Quapropter silentio melius, quàm laude quacunque omni laude majorem, debemus illius auctorem, servatoremque collaudare: & ejus operis demirari potius, quàm scrutari magisterium. Nobis nihilominus nullam unquam, ut supra, & semper repetendum, nostris sententiis fidem quærentibus, attamen declarantibus qualis Natura humana in somno nobis esse videatur; placet primum proponere an verisimile alicui appareat, quod statim ac materia hominis in ovo a spiritu prolifico in motum agitur, sensimque ab eodem spiritu in partes omnes construendas distribuitur; sit ne cor primum, an verò partes, quæ sicuti in arborum, & fruticum herbarumque seminibus, simul producantur omnes. Utinam, ut in minutissimis aliquibus ovis herbarum, & fruticum, arborumque, conspiciuntur germinationes, diffusionesque futuræ ramorum, palmitum, ac foliorum, sic in ovis gallinæ, quæ aliorum respectu (forsan hac factum providentia; scilicet ad vitam sanorum hominum traducendam incolumem, eorumque servandam ægroantium) tam magna sunt; futuri animalis; sicuti, & aliorum seminum cernerentur rudimenta. Potuisset quidem efficere almus auctor, atque servator Natu-



ræ, ad controversias philosophorum omnino delen-  
 das; uti in tantulo ipso grano, sive ovo fici demon-  
 strantur expansiones truncorum, & ramorum; sic, &  
 in ovo pulli futuri lineamenta proponere. At pla-  
 cuit sapientissimo rerum omnium conditori, hanc  
 quoque magnificentia ejus plenam facere operam;  
 quam non omnem oculis corporis cernere, verum  
 & mentis acie contemplari decuisset. Dari quidem  
 videtur (ut illam omittamus sententiam qua existi-  
 matur partes in ovo hominis, velut in seminibus ar-  
 borum, formari simul omnes) esse alicujus, licet bre-  
 vem, ac celerem inter cæteras præfistentiam. Etenim  
 si fæces, quæ post fætum natum excernuntur, non  
 ejus exordio produci possunt: nonne & aliqua  
 pars esse debet cui principium indictum a Natura  
 sit; ubi aliæ postmodum in opportuna opera quo-  
 dam tempore deficient, & ubi; si fæces una forma-  
 rentur; essent, & hæc in formatione initium fætus.  
 Quo circa non abs re opinandum videtur assignatam  
 quamdam, statutamque esse partem, quæ sit in sua  
 formatione prior: dum illa existit, quæ est in sua  
 actione posterior.

XXV. Ab hoc itaque spiritu prolifico, qui vel  
 nidulatur in sanguine, vel in aliquo, qui ad essen-  
 tiam sanguinis accedit, sicuti jam indicatum, verifi-  
 mile apparet primum formari cor, & deinde partes  
 cæteræ. Si enim cor Anguillæ extractum, aliisque  
 proximis visceribus excectum, & in machina Boylia-  
 na exhausto aere positum ad multum tempus pulsa-  
 re pergit; quænam esse posset motus qui fieret a ce-  
 rebro derivatio? Dum ipsi motui cordis illius, in-  
 fluxu nervæi laticis jam denegato, a spiritu cordis  
 proprio, motus ille imo sustentari debet, atque ser-  
 vari. Igitur melius existimare videtur, qui in cordis



substantiam, & in arctissimam hujus machinæ constructionem, penitus insidentem credit manere spiritum, ibique perfici, & in sanguinem diffundi: & credit per crescentem ætatis vigorem, copiosiore ejusdem fieri productionem perque continuam inde actionem, & passionem; enervatis partibus ipsum spiritum reficientibus, in sua sensim vi deficere, & sensim animal senium, mortemque subire. Quæ diximus a spiritu cordis proprio fieri, confirmat motus cordis per somnum. Huic enim spiritui, quem credimus esse hominis Naturam, & in corde præcipue residentem, non ut latici nerveo, qui in cerebro conficitur quies ulla debebatur; sed in actione semper manere, & sibi ipsi, & in quo est necesse erat semper esse providentem. Quare ab opiatis medicaminibus non eadem, neque tam patens huic, quæ latici nerveo, infertur noxa, pressuraque. Quin imo acceleratur motus cordis, illataque ab eisdem opiatis injuria torquetur. Si itaque quoddam tempus est, in quo a suis operationibus cessat latex ille, qui conficitur in cerebro, feriatumque illi esse convenit: & nunquam e contrario, spiritui cordis ociari licet: quænam esse potest ratio, quare spiritum cordis minime Naturam ipsam esse dicamus: dum irrequieto motu suo dormienti animali providetur, ut actus omnes explicet corporis, & functiones efficiat?

XXVI. Nos quidem ii sumus, qui in eam semper stamus opinionem a viro Cælestis Sapientiæ ornatissimo, ac Sanctissimo Mosè deductam; qui exposita creatione Cæli, & Terræ ait quod Spiritus Domini ferebatur super aquas: unde argumentari, forsitan recte, nobis visum est, sicuti & aliquibus sacris Scriptoribus, Spiritum illum Dei fuisse creaturam: & argumentari insuper, in illo Spiritu, qui ferebatur



tur super aquas, ipso suæ creationis actu, Motus inditam a supremo Creatore fuisse rationem. At proh Deus immortalis? In illa ratione motus, qui fuit vel esse potuit modus? Non alius, ut arbitramur, in universo modus ille fuit: nisi uti est motus sistoles, & diastoles in animali, dilatationis scilicet, & constrictionis: ita ut spiritus mundi una cum illa vi motus in ipso spiritu impressa, rerum sit omnium Natura, quæ id, in quo sit ipsa Natura, sive spiritus, vivere faciat quo ad vitæ capax: quo ad scilicet subsistere in sua essentia valeat, & in quo est retineri possit. Nihilque aliud arbitramur esse Materiam, quam magneticam in suo genere quamdam rem, quæ secundum suam essentiam a spiritu agatur in motum, & vitam; semper tamen in motum sistoles, & diastoles ipsi convenientem: ita ut spiritus dilatans sese, atque constringens, illa rerum dici debeat, & sit quæ ex se desinat, & quæ in se revertatur Natura. Et ut sermo hic quantum possibile nobis fiat magis, magisque urgeat; an alicui non improbabile videri potest (seclusa tamen, missaque mutua illa, tantaque contentione gravitatum, & ponderum, a qua non terræ, & maximorum cælestium corporum modo, verum etiam multorum forsan premuntur ingenia) a solo impresso motu sistoles, & diastoles in tenuissimo spiritu creato rerum omnium actionem regi posse? Dum verisimile appareat, ac probabile, quod radii Solis per impulsum in corpore Solis insitum, & per insitum in ipsorum propria gravitate repulsum ad lucis centrum, spiritum quoque advehant, ac revehant, qui luci defluentis per ipsam spiritus propriam regionem, eique incorporatus, commixtusque spargatur deinde in rebus, & lucis refluxu, de novo se maximis illis misceat corporibus: & ita eorum-



rumdem motum, virtutemque sustineat? Quid sit motus, nisi certe, tamen ut melius potuerunt, philosophi pronunciarunt. Nobis quibus placuit minime in arcana Divinitatis inquirere, veruntamen in rerum, earumque causarum in qua versamur ignorantia ad supremi conditoris sapientiam confugere: & solum quæ illa forsan fuerit in creatione motus, nostra semper infirma ratione, propemodum tantum innuere: & referre placuit ad motum sistoles, & diastoles vim illam spiritui impressam; proponimus ingenuis viris considerare an motus, qui ab arte proficiscitur, sicuti ut in horologiis quibusdam spectatur, sit ne & ipse, vel emuletur sistolem, & diastolem, quia species quædam sit motus.

XXVII. Præterea in ipso maris æstu ecquid aliud apparet quàm motus sistoles, & diastoles, qui ut in corde fluxum sanguinis efficit, refluxumque, ita visibilem constrictionem, & dilatationem in illa aquarum congregatione declaret? Et præsertim si concedatur (quod profecto concedi posse nullum in philosophia scelus esse putatur) a sale qui aquis inest retineri substantiam illius jam dicti spiritus, qui conata sui dilatatione, & constrictione fluxum, & refluxum efficiat? Et qui per hujusmodi motum senis horis sistoles, & diastoles, orbis terrarum convenientiæ, & proportioni respondeat. Quare sapientissimus, imo ipsa sapientia, Magister noster sale esse dixit Apostolos suos spiritu ejus veritatis illustratos: sale quemdam proprium fruges, & quod est omne voluit obtinere. Sale omnia condiri voluit, ut rerum forma, essentiaque asservaretur: & carnibus usque demortuis hominum effecit industria, ut sale condirentur: ex quo de his sapienter scripsit Cicero: *sale pro anima datum*. Verum enim vero de salis utilitate, & ne-



& necessitate, quid attinet plura modo referre, dum res ipsa quæ diximus, & experientia confirmat. Et enim certum est majorem æstum illas sentire aquas, quæ magis salæ sunt, quàm quæ minus. Forſan eo quia major ſpiritus quantitas in majore quantitate ſalis retineatur: unde ipſæ aquæ magis tumeant: & deinde proprio pondere jam dictæ legi ſpiritus obſcudent. Et certum quoque ſit nova, & plena Luna plus, plusque turgeſcentes fieri maris aquas, majoreque urgeri æſtus impulſu: forſan quod uberiori copia per ſupervenientem lucem ſpargatur & ſpiritus: ſummaque lucis ejuſdem diffuſione impellatur in aquis (quicquid hac in re minuti quidam dicant philoſophi, negantes in eſſe lumine Lunæ efficacitatem ullam; experientia deſumpta ab instrumento ſignante calorem, & frigus, in quo nulla per lumen Lunæ exurgit alteratio. Quæ tamen alteratio neque eveniret in diſtante locum per lumen alicujus phari, aut lampadis, qui magnum lateque patentem effunderet ſplendorem: quamvis accenſum ellychnium a quo diffunditur lumen inflammet ac urat) quare tunc temporis ideo diſtendantur, & magis, magisque tumefcant aquæ. Verum enim vero nobis non licet in calorem, neque in lumen Lunæ inquirere: cum talem provinciam ambulare ſapientiſſimis tantum philoſophis ſit conceſſum, aliis verò vetitum: contentis addubitare: an velut in humano corpore ſanguis ſpiritum aſſervans, ac tenens, per aliquod præcipuum viſcus purgari dicitur, ſic in talis orbis univerſi viſcere ſpiritus ille de quo ſumus alloquuti ſimiliter perficiatur, & ibi in rerum omnium beneficium purgetur, perpoliaturque: unde per novum adveniens lumen turgeant aquæ, & rerum quoque germina in reparationem ſui generis uberius aſſurgant. Tam

gran



grande Naturæ, sive spiritus, in orbe creato mysterium a nobis in quadam dissertatione, suspensa tamen manu, jam tractatum, dabitur forte occasio fusius examinare. Interim, ut sparsa vela dissertationis modo colligamus, indicasse sufficiat Naturam hominis, seu spiritum illum primigenium in corde, & sanguine residentem, diversum prorsus ab eo esse qui elaboratur in cerebro; cum huic illa concedatur, & necessaria sit quies, quam, nisi sui destructione, ei qui in corde, & sanguine residet nullo non tempore animalis vitæ, non potest, neque debet sibi met comparare.

XXVIII. Quid Natura hominis in somno cum sit a nobis quamvis infirma ratione definitum; quædam restant afferenda ad Somni essentiam, & illam quæ fiat nervei laticis in ejus principio contractionem si naturalis, vel ejus corruptæ texturæ: Si morbosus sit Somnus; magis, magisque declarandam, confirmandamque. Hippocrates medicorum omnium sapientissimus monuit per austrinas temporum constitutiones dissolvi, laxarique corpora, pluresque fieri morbos capitis. Hanc dissolutionem non aliunde oriri meliores hujus loci interpetres arbitrati sunt, nisi quia venti australes plurimis conflantur exhalationibus sulphureis, quas iidem calidissima loca pertransientes Boreæ subiectis regionibus advehunt: quæ sulphuræ exhalationes, interdum nares ipsas nostras ferientes, dum per inspirationem hauriuntur, & in sanguinem transeunt, substantiæ præsertim nervei laticis, qui a sanguine derivat officiant: vimque illam propriam, texturamque corrumpunt adeo, ut homines aliquando vel subitanea morte perdantur, vel gravissimis pessudentur morbis. Similem esse Opii in laticem nerveum efficaciam attestantur ejusdem.

Opii



Opii, & papaveris operationes, & præcipue quæ in principiiis morborum succedunt. Etenim ægrotantes, fallacia medicaminis, blandoque mendacio illecti, dum Somno se refici posse confidunt, hac frustrati spe, immo debilitari corpore, capite evanescere, mente specierum confusione se perturbatos sentiunt. Quæ omnia quum declarare quam innuimus sententiam videantur, non est cur illam plurimis fulciamus verbis: dum maximis argumentis, ratione scilicet ac experientia, tueri conati simus.

XXIX. Quam proposuimus sententiam contractionis animalis spiritus, seu nervei laticis ad suum principium esse Somnum, exemplis modo convenit demonstrare, ut inde rei veritas, quantum humanæ mentis imbecillitati concessum, magis, magisque excitetur. Et hic minime repetere placet quæ innuimus de pandiculationibus, & oscitationibus, in quibus & extendi nervorum spiritum, & ad exteriora propelli quasi videmus. Referre tamen convenit, quod si quem primo; vel quem jam longo Somno complexum libeat pungere, & excitare; in altero spiritus nervei ad exteriora difficilem revocationem, in altero verò facilem comperiemus. Quod utrumque ideo diverso modo fieri existimare debemus, quia qui primo Somno captus est minorem habet quantitatem resecti spiritus, qui ad exteriora possit revocari: cui verò longior jam Somnus processerit, facilius excitatur: quia quæ jam deperdita erat spiritus nervei portio, restituta per Somnum, & revocata est. Quæ res satis superque demonstrat Somnum a Natura datum, non, uti quidam medicorum perperam existimarunt, ad ciborum coctionem; verùm præcipue ad spiritus nervorum reparationem, instaurationemque: & hanc per illam forsan fieri quam posuimus spiritus contractionem ad suum principium: quare



instrumenta quibus elaboratur, atque conficitur, magno Naturæ miraculo, per ipsum corporis reliqui languorem, & stuporem, in agendo melius vigeant, & melius ad propriam actionem, consuetudinemque revocentur. Pythagoreorum hominum scilicet magni consilii, mos fuit: ut ea quæ audivissent, aut legis-  
sent memoriæ penitus insiderent, vesperi commemorare. Quod cum ab experientia vitæ magistra plurimis persuasum usquemodo arbitremur, non est cur addubitare possimus per hoc quoque exemplum, eatenus quas verborum, & rerum species ante Somnum spiritui immittimus, melius memoria percipi, & custodiri: quatenus scilicet spiritus, qui in cerebro præsertim continetur, asservaturque, illis imbutus speciebus, animi penetralia invadens, memoriæ conclavibus commendet, illasque inibi gaudeat asservari.

XXX. Manca tamen & infirma difficultas illa, non est, quæ potest objici: an scilicet in hac spiritus contractione, quæ sit Somnus, fervetur adhuc aliquis ipsius per nervos motus: quare per puncturam dormienti factam, vel concussionem debeat qui dormit expergisci, absque eo quod spiritus contractio ad cerebrum totalis, omnisque ponatur; cum præsertim, sint qui difficulter, & qui levissima excitentur occasione. Ad hanc diluendam maximi ponderis difficultatem plura sunt (in tanta obscuritate, & ignorantia causarum in qua versamur) nulla, quæ revera, & liquido referri possint. Non enim habemus rationem satis probabilem causæ motus laticis nervei, quæ fiat per circulationem: neque si possit motus hic ad sistolem attribui, ac diastolem, quæ a corde per arterias communicetur cerebro, sitque in hoc viscere plusquam alibi actuosior ob rectam directionem illarum arteriarum, quæ ibi, in directum, ferunt sanguinem. Neque scimus num per contiguitatem particularum laticis ejusdem,  
sen-



sensationum pulsus, veluti a corda extensa a fine ad principium, temporis momento excipiantur.

XXXI. Unumquemque nostrum innumeris intextum esse filis, filorumque exilissimorum coagmentatione constructas esse partes omnes: vicissimque tali ordine, talique proportione conjunctas, ut incredibilis, mirabilisque inter sese exordiat omnium consensus; Anatomes demonstratione, & ipsa experientia clarum est, & indubitatum. Quare Crisippus Zenonis successor, humanum corpus innumerabilibus, exilissimisque constructum staminibus, & subteminibus, araneorum telæ comparavit: & dixit, quod sicut araneus in medio telæ manens mediantebus staminibus, quibus telam texuit, sentit quicquid attingit extrema, ita sentire animam. His prætermisissis, non ad stamina, & fila tantum, quibus vel maxime constructi sumus, verum, & ad laticem nervis inclusum perceptiones sensationum referentes, ipsum quoque per circulationem ferri, etsi canales qui muneri huic inserviant minime conspicui sint, credibile aliis, & nobis visum est: & quia morbus qui dicitur Vertigo, acceleratio circulationis ejusdem laticis est: & quia qui Epilepsia dicitur, illius per impeditam circulationem propulsio est, & repulsio in cerebrum: & quia qui Apoplexia dicitur ejus prorsus impedita circulatio esse videtur.

XXXII. Jam dicta, & alia, quæ ne proluxa nimis sit Dissertatio, consulto prætermittimus, etsi suadeant nervis inclusum laticem, indefinenter per circulationem, & ipsum ferri; minus tamen aptè ad hanc quam tenemus quadrare viderentur sententiam: nisi existimare liberet, quod sicuti plurimis evenit arboribus, qui per hyemem, sopita actione proprii spiritus, & vita sola quam habent ab humorum circulatione fruente, nec germinare ipsi, neque



que frondescere valent: at vere novo dum novam sentiunt lucis, ac ætherei spiritus accessionem, novos flores, novaque fundunt germina; ita in animalibus, in somno intermissionem circulationis arbitramur fieri nervei laticis: quare nec percipi sensationes, neque animæ functiones peragi libere possint: ita ut qua vivunt vita homines, & cætera animalia, per somnum illius sit similis, qua per hyemem vivunt arbores; sola scilicet humorum circulatione, eoque modo quo vivunt partes corporis nervei laticis influxu destitutæ per morbos. Et sic nostra jam exposita licet non omnino, videatur forsan approbanda sententia: Somnum videlicet contractionem esse nervei laticis ad suum principium. Medicamenta opiata, non somnum, veruntamen inferre presuram. Naturamque hominis, illum scilicet spiritum primigenium, cui vis motus participata, in corde præsertim manere, nullamque ei inesse quietem, quoadusque subsistat in corpore: & sit illa ipsa quæ per diastolem semper desinat, & quæ per sistolem semper in se revertatur Natura.

XXXIII. At de his si minus sapienter sit dictum, minime mirari debetis. Magnis siquidem ingeniis magna sunt argumenta linquenda: nec licet humi repentibus altiora quærere: & maxime quum creatarum rerum veritas sit abscondita: opiniones controversæ: causæ abditæ: mendaciis occupata omnia. Quapropter dissertationis hujus inquirentis in Somnum, in medicamenta somnifera, & naturam hominis in Somno; hæc tantum stare debet sapientum assensio, atque approbatio; si contemplantes bonitatem ineffabilem Creatoris Orbis universi, & hominis, una voce, & semper inclament omnes.

*Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in Sapiencia fecisti.*







